BIBLIA LATINA (TEILBIBEL)
Österreich, Anfang 13. Jh.
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift



inter e dicunt. Nam in octauo et tricesimo anno temporibus phtolomei et
uegetis regis. postquam peruenit in egiptum et cum multum temporis ibi fecisse.
inueni libros relictos non parue neque contemnende doctrine. Itaque bonum
et necessarium putaui et ipse aliquam addere diligentiam et laborem interpre
tandi librum istum. et multa uigilia adtuli doctrinam in spacio temporis ad
illa que ad finem ducunt. librum dare et illis qui uolunt animum intendere
et discere quemadmodum oporteat instituere mores. qui secundum legem
domini proposuerint uitam agere. Incipit liber iesu filii Syrach.

Omnis sapientia a domino deo est et cum illo fuit semper. et est ante euum.
Harenam maris et pluuie guttas et dies seculi. quis dinumera
bit. Altitudinem celi et latitudinem terre et profundum abyssi.
quis dimensus est. Sapientiam dei precedentem omnia. quis
inuestigabit. Prior omnium creata est sapientia. et intellectus pruden
tie abeuo. Fons sapientie uerbum dei in excelsis. et ingressus illius man
data eterna. Radix sapientie cui reuelata est. et astutias illius quis ag
nouit. Disciplina sapientie cui reuelata est. et manifestata. et multipli
cationem ingressus illius quis intellexit. Unus est altissimus et creator
omnipotens. rex potens et metuendus nimis. sedens super thronum
illius et dominans deus. Ipse creauit illam in spiritu sancto. et uidit et dinumera
uit et dimensus est. et effudit illam super omnia sua opera et super omnem car
nem secundum datum suum. et prebet illam diligentibus se. Timor domini gloria et glo
riatio. et leticia et corona exultationis. Timor domini delectabit cor. et
dabit leticiam et gaudium in longitudine dierum. Timenti dominum bene
erit in extremis. et in die defunctionis sue benedicetur. Dilectio dei ho
norabilis sapientia. quibus autem apparuerit in uisu diligunt eam in uisione.
et in agnitione magnalium suorum. Initium sapientie timor domini. et cum
fidelibus in uulua concreatus est. et cum electis feminis gradietur. et cum iustis
fidelibus agnoscetur. Timor domini scientie religiositas. Religiositas custo